



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CONSTAT CHRISTIFIDELES BEATA MARIA VIRGO,**  
TITULO «MATRIS ECCLESIAE» INVOCATA,  
**PATRONA APUD DEUM DIOCESIS CAGUANAE IN PORTU DIVITE CONFIRMATUR** Ad perpetuam rei memoriam. –  
Constat Christifideles dioecesis Caguanae in Portu Divite Beatam Mariam Virginem titulo «Matris Ecclesiae» invocatam  
peculiari cultu prosequi eamque impense venerari tamquam animarum suarum Magistram et Reginam. Qua re, cum  
Venerabilis Frater Henricus Emmanuel Hernández Rivera, Episcopus eiusdem dioecesis, communia cleri populique vota  
excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis memorato sub titulo in Patronam apud Deum Ecclesiae sua rite probaverit  
atque, datis litteris die XXVII mensis Septembris hoc anno, petiverit ut electio et approbatio huiusmodi, iuxta «Normas de  
Patronis constituendis» et ad normam Instructionis «de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis  
recognoscendis», n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmarentur, Nos, istius cupientes preces audire Pastoris,  
comprobatis iis, quae Congregatio pro Cultu Divinno, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra  
potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo «Matris Ecclesiae»  
invocatam Patronam apud Deum dioecesis Caguanae confirmamur, cum omnibus iuribus et liturgicis privilegiis iuxta  
rubricas consequentibus. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis  
quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Novembris, anno  
MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright  
1988 - Libreria Editrice Vaticana

---